



Samuel natus est Antuerpiæ patre Iacobo, ex gente Quickelbergia, Audonardi quoq; celeberrima, anno millesimo quingentesimo uicesimo nono. Is à teneris annis Gandavi operam literis de dit, & ibidem prima artium fundamēta iecit. Cum ad decimum ætatis annum peruenisset, Norinbergam perductus est, atque flagrantī desiderio authorum lectioni incumbere, atq; liberales artes discere cœpit. Ab adolescentia quoq; herbarum & Medicorum principijs delectatus fuit. In eo studio tantisper hæsit, dum sibi uiam ad Philologiam & Historiam præpararet. Postea aliquandiu regiones Bauariæ inuisit, atq; anno ætatis decimo octauo Basileam peruenit. Ibi in Academia lectiones audiuit, atq; ob uarias ingenij dotes (quas uel tum in eo animaduerteram) mihi familiariter notus fuit. præter lectiones uero publicas priuatim etiam in philosophicis audiebat D. Huldricum Coccum, & Hieronymum Vuolffium, uiros doctissimos, idque maximo fructu. Ab eo loco sese Friburgum, postea Augustam Vindelicorum contulit, ut Imperij conuentus, qui post bellum Smalkaldicum frequenter ibi celebrabantur, contemplaretur. Eo tempore liberalitatem D. Fuckerrorum sensit, atque ad studia sua continuanda in Bauariam rediit, anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo. Cum Ingolstadij degeret, aliquoties loco professorum publicè legit, atque ingenij sui uires declarauit, ut quorundam petitionibus acquiesceret, ubi etiam ob præclaras animi & corporis dotes multis innotescere cœpit. Paulo post Samuel dominis Fuckerris in Bibliotheca exornanda, & immenso antiquitatum & imaginum promptuario & theatro comparando, operam dedit. Interea tamen sua priuata studia excoluit, atque hoc modo Bauariæ ducibus mirifice insinuatus fuit.